यमना ज्ञनः P. quibus vitium inest in crasi इतोभय pro इत उभय; voluit fortasse इहोऽयमना, quae scriptura tamen posthabenda foret nostrae. — d. भृत्यैः संयुज्यते नृपः । L. — S. नृप. Sed nominativo opus est.

Dist. 73. a. शस्त्रं च शास्त्रं च Pp. contra metrum. — c. हि ex coniectura addidimus ad metrum explendum. — d. भवन्त्ययोग्या योग्याश्च L. et P. Obstat metrum, sensus idem est. — Pp. veram scripturam praebet, sed peccat scribendo आयोग्याः. —

Dist. 74. b. शक्तानुपकारिणा Pp. mendose.

Dist. 75. a. Pro राज्ञो S. प्राज्ञो mendose. — b. . . . तत्प्रामाण्याद्भवति न edd. — तत्प्राधान्यान्न भवति P. त्वप्राधान्याद्भवति न Pp. quam scripturam secuti sumus, posito tantum तत् pro तु et omisso alpha privativo. — c. भवति न हि codd. qua lectione metrum quidem non turbatur, sed minus convenit haec positio negationi. — d. Pro अवशं S. अबलं male.

Dist. 76. Praemittit Pp. अपरं च देव. — Pro नित्यं P. सर्वं. — Conservavimus जनपदा correpta prima syllaba propter consensum librorum, licet in promptu foret coniicere जानपदाः; verum edocendi potius hoc loco sumus, जनपद interdum poni pro ipsis regionis cuiusdam incolis.

Dist. 77. a. गृहीतव्यं ex editione L. in nostram irrepsit; scribendum ग्रहीतव्यं propter infinitivi formam ग्रहीतुं, a qua semper pendet hoc participium. — c. रवेर्विषयं Pp. male. Est septimus casus absolutus.

Lin. 15. अस्मदीय pro अस्माकं S. et Pp.

— 16. Pro कियन्तं S. et P. इयन्तं; L. एतावत् hoc male; nam addito कालं adverbialiter non poni potest एतावत्. कालं यावत् S. et P.; sed यावत् ab hoc contextu alienum est. — कुतश्चित् om. L. कुतः substituit Pp. interrogatio neque huc quadrat, neque continetur vocabulo कियन्तं. — कुतोऽपि S. quod haud magnopere differt a कुतश्चित्. — Pro पिशुनवचनात् P. खलवचनात्; quod in बलात् corruperunt editt. Scrampp. — कुपितः ex P. ceteri om. — Inserit P. ante इदानीं hoc incisum: तत्कालमेव दुःखमनुभवामि ।

Lin. 17. किंचित् तदुच्यतां om. Pp. तद् abest ab edd.

— 18. किमिति codd. et S. quam particulam recipere debebamus. — विस्मय Pp. mendose. Neque pro uno vocabulo haberi possunt verba: किमितिविस्मय. — आगतस्तिष्ठति L.

— 19. et 20. Secuti sumus edd.; — aliter codd. P. = भद्रमुक्तं किमस्माकं सोऽस्ति यस्य रहस्यं कथ्यते । शृणु कथयामि । वनं etc.; Pp. भद्र किमुक्तं किं रहस्यमुक्तं । कश्चिद्वि-

शास्त्रभूमिरस्ति । शृणु कथयामि । et quae seqq. In utraque scriptura sunt quae displiceant; neutra nostrae praestat.

Lin. 20. संप्रति वनं etc. edd. Otiosum adverbium abest a codd. — त्याज्यं । अनेन हेतुना विस्मितोऽस्मि । तथा च श्रुतः etc. edd. Omisimus, codd. suadentibus, incommode insertum incisum. — तथाविधः pro तथा P.

— 21. अपि post त्वया om. P. — मयापि महानपूर्वशब्दः । edd. — Cum codd. faciunt interpp. त्वया igitur maiore auctoritate gaudet, quam ob caussam a nobis praelatum est; quanquam aliquid in hoc loco me offendere haud dissimulabo. Non enim pro certo affirmare potest leo, a thoe etiam auditum fuisse sonum illum; interrogationem ponunt interpp. optime; sed ut hanc verbis vindicemus, legendum erit अपि श्रुतस्त्वया अपूर्वः शब्दो महान् । omisso तथाविधः. Scriptumne fuit: अश्रुतपूर्वस्त्वयापि?

Lin. 21. Pro अस्य P. तस्य, Pp. च तस्य. — महता बलेन, omisso अपि edd. सुमहता Pp. —

— 22. देव अस्ति edd. et P.; praemitti debet cum Pp. verbum substantivum, quia Damanacus leoni suffragatur, dicendo: *est* sane gravis caussa, ob quam timeas. तावत् h. l. est particula concedentis et affirmantis. — महाभयहेतुः L. minus bene. Diserte enim h. l. indicandum erat, adiectivum महत् ad हेतु, non ad भय pertinere.

Lin. 1. *init.* स शब्दः S. haud male. — Pro आकर्णितः Pp. श्रुतः । — स्वभूमि - P. Pro युद्धोयोगं et seqq. edd. पश्चाद् युद्धं चोपदिशति अपरं च अस्मिन् कार्यसंदेहे भृत्यानां etc. Pp. पश्चात् omittit, pro अस्मिन् कार्यसंदेहे substituit देव, pro एव ज्ञातव्यः in fin. ज्ञात एव. P. युद्धायोगं (unde nostra emendatio युद्धोयोगं), tum in seqq. cum nobis facit, modo अपि voci भृत्यानां subiungit et एव post उपयोग omittit.

Dist. 78: a. भृत्यस्त्रीबन्धुवर्गाणां P.

Lin. 5. भद्र मे महती शंका वर्तते Pp. — सिंहः सभयमाह । भद्र मां प्रति महती शंका उत्पन्ना P. — Sequens incisum hunc in modum vitiant edd. दमनकः पुनराह स्वागतं । S. दमनको (sic) चिन्तयामास स्वागतं L. De स्वगतं, vocabulo poesis dramaticae supra dictum est; neque non notum nunc esse debet Hitopadesae lectoribus, verba *dicendi* omitti posse post haec vocabula: स्वगतं et प्रकाशं ।

Lin. 6. Secuti sumus L., quocum conspirat S. omisso tantum male कथं । — Pp. अन्यथा किं त्वां राजसुखं (sic) परित्यज्यात्रागत्य मां संभाषते, cuius scripturae vitia per se patent. P. = अन्यथा सर्वकार्यं परित्यज्य अस्मान् संभाषसे; desideratur sane particula interrogativa.

— 7. किंतु om. Pp. male. — आश्वस्यतां P. mendose.

— 8. आपत्काले प्रतीकारे Pp. आपत्प्रतीकारे, omisso काल P. आपत्प्रतीकाराय L. आपत्प्रतीकारकाले S. ex quibus scripturis nostra concinnata est.

— 9. महा om. P. Pro महाप्रसादेन S. et Pp. सर्वस्वेनापि; favore leonis haud dubie contenti fuerunt thoes. Pro पूजितौ P. पुरस्कृतौ; sed hoc verbum in tali contextu quod sciam nunquam ponitur. — परिज्ञाय प्रचलितौ Pp.

— 10. स शक्यप्रतीकारोऽयं P. स sinistre est additum. - अयं praebet etiam Pp. in edd. male omissum. भयहेतोः L. insulse.

— 11. न ज्ञात्वा edd. minus bene. — भयोपशमे, omisso प्रतिज्ञाय, Pp. male. — भयोपशमार्थं प्रतिज्ञाय P. — कथमयं महाप्रसादो edd. कथमयं प्रसादो P. — यतो om. Pp.

— 12. उपायं Pp. — च om. edd. ; ad राज्ञः trahit Pp.

Dist. 79. et 80. desumta sunt ex Manu; cf. VII, 8. et 11. In ed. L. et P. 79. a. pro श्रीः leg. अस्ति; in Pp. et S. आस्ते. — d. pro हि सः ed. L. नृपः ।

— 80. c. Pro क्रोधा P. पूज्या.

Lin. 17. Pro आस्यतां P. आस्य Pp. आगछ; utrumvis absurde; hoc, quia तूष्णीं adverbium est, illud, quia radix आस् eiusmodi formam producere nequit; voluit: आस्व, 2. pers. sing. imper. med.

— 18. नर्दनं P. — चैतत् P. हि तत् Pp. तत् edd. unde fecimus ह्येतत्. — अपि om. P. male. —

— 19. Pro तदा Pp. तावत् quod adverbium ab hac iunctura alienum est. Pro किं priori S. किं पुनः, male; irrepsit पुनः e mox antecedentibus. किं hoc om. Pp., alterum solum exhibens. Pro किं altero edd. किमिति haud male. At geminatio interrogativarum particularum a lingua Indica haud aliena est. Cf. aliud exemplum supr. lin. 10 — 11.

— 20. Ex codd. - स्यात् a P. omissum retinuimus cum Pp. et edd. - Utraque editio repetitionem intolerabilem praebet: यदि स्वामित्रासस्तत्रैव मुच्यते तदा कथमयं महाप्रसाद etc.

— 21. शृणु ex codd. adiectum.

Lin. 1. उत्तरापथे post अस्ति addunt edd. Suspectum est hoc vocabulum, quod ad analogiam vocis दक्षिणापथ formatum est; omittunt h. l. etiam interpp. Conservavimus infra p. 111. l. 14. auctoritate codd. moti.

— 2. दुर्दान्तो नाम महाविक्रमः ed. S. sola. — Pro कुहरे edd. कन्दरे minus exquisite. — अपि om. L. male. Pro प्रत्यहं codd. सर्वदा; adverbium temporis omnino omisit L.

— 3. कश्चित् om. L. et Pp. — Transponit S. कश्चिन्मूषिकः प्रत्यहं.

— 4. Pro स सिंहः edd. ततः — Pro लूनं P. छिन्नं नूनं; नूनं ortum est a

male lecto लूनं, cui glossema छिन्नं additum fuerat. — Pro दृष्ट्वा P. ज्ञात्वा. — तं abest ab edd. किमत्र विधेयं om. edd. — P. addit hisce verbis: भवतु। एवं श्रूयते, quae verba excipiuntur a dist. 82.

Dist. 82. a. यस्य pro यस्तु L. — आहन्तुं edd.

Lin. 7. तेन सिंहेन om. L. सिंहेन tantum S. Pro ग्रामं L. नगरं. — दधिकर्णनामानं विडालं मांसाहारादिना संतोष्य बिलसमीपे स्थापितवान्। L. Post ग्रामं गत्वा pergit S. विश्वासं कृत्वा दधिकर्णनामा विडालो यत्नेनानीय मांसाहारं दत्वा स्वकन्दरे स्थापितः। — P. = दधिकर्णनामविडालस्य कन्दरे मांसाद्याहारं दत्वा प्रयत्नादानीय धृतः। Pp. = दधिकर्णनामा विडालः स्वकन्दरे मांसाद्याहारं दत्वा यत्नादानीय धृतः॥ Scriptura nostra ad codd. proxime accedit.

— 8-10. Pro ततः edd. अनन्तरं — मूषिकोऽपि edd. absurde, quum nullum aliud animal praeter murem proserpere dicatur. - Pro न बहिः S. बिलान्न. - मूषिकस्य शब्दं Pp. — यदा et तदा semel tantum posuerunt codd. minus bene; यदा यदा *quotiescunque.* — विशेषं मांसाद्याहारेण तं etc. codd. Quod ad sensum vocabuli विशेषः attinet, optime huc quadrat, sed haud scio an adverbium esse possit, nisi addatur affixum तसि vel praefigatur स.

— 11. बहिः संचरन् edd. — विडालेन codd. qui mox tertium verbum subiungunt: खादितश्च। — स सिंहो om. h. l. codd.

— 12. कदापि, omisso चित्, Pp. Suspecta mihi est iunctura कदाचिदपि, quia utralibet particula, चित् et अपि, interrogationem iam sola tollit. In versu Bhartriharis (p. 59. fin.) अपि non cum कदाचित् iungendum est, sed cum यदि ita ut efficiatur particula conditionaliter concedentis यद्यपि. Versus hic est: यदि नाम दैवगत्या जगदसरोजं कदाचिदपि जातं। अवकरनिकरं विकिरति तत् किं कृकवाकुरिव हंसः। परिचरितव्याः संतो यद्यपि कथयन्ति न सदुपदेशं। यास्तेषां स्वैरं कथास्ता एव भवन्ति शास्त्राणि॥ Prorsus aliam protasin praebent edd. अनन्तरं स सिंहोऽनेककालं यावन्मूषिकं न पश्यति तत्कृतरावमपि न शृणोति तदा et quae seqq. — Pro उपयोगाभावात् edd. तस्यानुपयोगात्; तस्य inopportuno loco positum; referendum enim foret demonstrativum ad sequens विडालस्य; unde recte Pp. उपयोगाभावात् तस्य; idem voluit P. ubi scriptum est: उपभोगात् तस्य.

Lin. 13. *init.* विडालस्यापि S. — Proximum comma ततो . . . . ऽभवत् ex codd. inseruimus; चिरात् ante दुर्बलः exhibet P.; om Pp. cui paruimus.

— 15. Pro तत्र codd. ततः, minus bene. — तन्मूले Pp.

— 16. *init.* Edd. संजीवकसमीपं गत्वाब्रवीत् pro तं वृषं etc. quae repetitio est intolerabilis. — एषोऽहं S. absurde. — एष त्वां, omisso in seqq. त्वां, L. — आज्ञापयति codd.

— 17. न चेत् edd. male. — अस्मात् pro इतो edd.

— 18. ने विरूढं फलं भविष्यति edd. glossam sapit. — Post haec verba ed. Ser. sola hunc in modum pergit: न जाने क्रुद्धः स्वामी किं विधास्यति । तच्छ्रुत्वा संजीवकश्चायात् । श्राज्ञाभङ्गो etc. [cf. supr. dist. 52.] ततो देश etc.

— 19. साष्टाङ्गपातं कटकं edd.

Dist. 83. b. तद्भावे Pp. minus bene.

Lin. 22. सशंकं Pp. et L. non dubitabat bos, sed timebat. मया किं P. तदभिधीयतां om. codd.

Lin. 1. Pro अत्र codd. अस्मिन्, अरण्ये pro कानने, et mox आशा विद्यते pro रक्षा वर्तते. Pro enuntiatione conditionali S. praebet: वृषभ अत्र कानने तिष्ठसि । अस्मदृदेवपद etc. — अस्मदूदेवपद codd. — गत्वा प्रणाम codd.

— 2. तदभयवाचं मे यछ गछामि edd. minus bene. L. perperam अभयं वाचं. — प्रयछ मे codd. — तदा गछामि ex Pp. om. P. In edd. sermo Carataci incipit ab hisce verbis: शृणु रे बलीवर्द.

Praemittunt edd. disticho 84. aliud, ab interpp. et codd. omissum:

प्रतिवाचमदत्त केशवः शपमानाय न चेदिभूभृते ।
अनुकुरुते घनधनिर्न हि गोमायुरुतानि केशरी ॥

In hem. c. deest syllaba longa post अनु; metrum restituitur legendo अनुसंकुरुते, sed dubito, an omnino hae duae praepositiones tali ordine positae radici praefigantur. Sed a coniecturis omnino abstinere possum, postquam contigit mihi, genuinam auctoris manum reperire. Distichon legitur in carmine *Mâghae*, cui inscribitur *Sisupâla-Badha* lib. XVI, 25. Versus posterior hunc in modum est legendus: अनुहुंकुरुते घनध्वनिं न हि etc. In versu priore lege cum ed. princ. भूभुजे. अनुहुंकुरुते explicat scholiastes per प्रतिगर्जति. Ex scholiis ad versum priorem hoc appono, eorum maxime gratia, qui putent abiiciendum omnino esse indigenarum grammaticorum studium atque perfectam linguae Indicae cognitionem ex ipsorum ingeniis hauriri posse pro sapientia sua glorientur. Eos igitur summopere rogo, ut hoc scholion aut falsum esse ostendant, aut, scholio legitime explicato, demonstrent, quomodo tandem se habeat res ista, ad quam alludunt haec verba: शपमानाय क्रोशते । स्वरितत्वादात्मनेपदं ॥

Dist. 84. b. *fin.* सर्वता: L. — c. तरून्; ita grammatica et orthographia pro more neglectis.

Lin. 6. कियद्दूरे S.

— 7. अवलोकितो Pp. quod spernere haud debebamus. चोपविष्टो P. haud

displicet च. Copula posita duae efficiuntur sententiae, ad quarum priorem tantum pertinet राज्ञा; in nostra scriptura unica est positio, in qua राज्ञा ad उपविष्टौ trahi nequit, quanquam melius me iudice flueret oratio, si posita esset forma caussativa उपवेशितौ sc. राज्ञा. Sed hoc argutius fortasse disputatum est. — Pro दृष्टः जन्तुः edd. त्वया स दृष्टः i. e. a te conspectus est ille, quod scire non potuit leo; ponenda igitur erat interrogatio, ut fit in codd. ordine verborum inverso; दृष्टः स जन्तुः । quod idem est atque अपि दृष्टः स जन्तुः । alias enim participio, verbi finiti partes agenti, locus est in fine sententiae. — Pro दमनको ब्रूते codd. तावाहतुः.

Lin. 8. विनतश्च om. codd. et S. — Pp. देव post sequens किंतु reiicit; P. utroque loco exhibet. — Ed. S. post किंतु pergit: यद्देवेन ज्ञातं तत् तथा महानेवासौ देवं द्रष्टुमिच्छति । किंतु महाबला (sic) ऽसौ । ततः सज्जी etc. Male, ut vides, confusa sunt verba. — यथा देवेन ज्ञातः । codd. यथा देवेनाज्ञातं L. Praestat scriptura codd. masculinum ponens, licet haud prorsus inauditum foret neutrum tali iunctura poni; praestare etiam videri posset h. l. ज्ञातः pro आज्ञातः, quanquam haud inficias ibo, discrimen utriusque verbi me haud satis esse assecutum. Quum autem praestare dicam masculinum ज्ञातः, respicio scripturam ed. Lond. in seqq. तथाप्यसौ देवपदं etc. A तथाप्यसौ nova sententia oritur, et verba यथा - ज्ञातः ad antecedens incisum महाबलोऽसौ trahenda sunt: „verum magni roboris est ille, prout a te agnitus est; nihilo tamen minus (haec enim vis est particulae तथापि) tuam maiestatem adorare cupit." Hanc interpretationem secutus est Jonesius, et patet, optime pro partibus, quas agunt, ad thoes eiusmodi loquelam quadrare. Restituendum igitur censeo तथापि, siquidem persuasum habeo, तथैव eodem sensu omnino non posse poni. Aliam viam ingressus est W. आज्ञातः vel potius आज्ञातं vertens: sicuti iussum a te fuerat. Sed hoc sensu legendum foret आज्ञप्तं et interpungendum ante यथा; tum autem minus apte dictum foret किंतु. Sensus, quem ipse mox praeferendum esse iudicavi, ex scriptura ed. Ser. levi emendatione facta et iusta interpunctione prodit: किंतु यद्देवेन ज्ञातं तत् तथा । महान् एवासौ । (तथापि) देवं द्रष्टुमिच्छति महाबलोऽसौ । Ceterum cum antecc. etiam melius consensit interpretatio nostra; nil iusserat leo, iudicio Damanaci omnem rem relinquens, dixerat (56, 21.) autem magni roboris esse istud animal ex coniectura sua.

Lin. 9. Pro देवपदं codd. देवं. — सः ex codd. — उपविश्यतां, omisso दृश्यतां, ed. L. — किंतु देव, omissa l. 10, P. — किंतु om. S. inserto एव post शब्दमात्रात्.

Pro किंतु L. तत्र, praemissis praeterea huic commati versibus hisce, a loco prorsus alienis, nihilo tamen minus ab utroque interpr. redditis:

यतः । अम्भसा भिद्यते सेतुस्तथा मन्त्रोऽप्यरक्षितः ।
पैशुन्याद्भिद्यते स्नेहो वाग्भिर्भिद्यो हि कातरः ॥

Dist. 85. b. कुट्टिनीं गौरवं गताः P. कुट्टिनीगौरवं गताः P. Ex consensu utriusque codicis apparet, hoc non merum vitium esse, sed potius aliam scripturam, duriorem tamen quam ut admitti possit. Ad गताः subintelligi potest लोकाः. Hactenus bene; sed tum गौरवं explicandum foret non de auctoritate, qua quis fruitur, sed de ea, quae aliis tribuitur; quam significationem huius vocis quanquam minus usitatam haud prorsus inauditam esse reor. Compositum कुट्टिनीगौरवं praestat in hac iunctura gemino accusativo, qui tamen defendi fortasse poterit.

Lin. 13. Pro अभिधानं edd. आख्यं.

— 14. नरकं pro नगरं mendose Pp. — तच्छिखरप्रदेशे S. — तत्र शैलशिखरे L.

— 15. सदा श्रूयते P. — चौरः स च व्याघ्रेण Pp. male; nam participia praesentis partes verbi finiti rarissime agunt et ne id quidem, nisi addatur verbum substantivum, ita ut coniugatio quaedam periphrastica efficiatur, attamen vel ea ad vulgarem sermonem restringenda esse videtur. Sanscritum exemplum prorsus nullum nunc memoriae obversatur, Pracritici memini initio Actus secundi Mâlatî-Mâdh. तुमं किंपि मन्तअन्ती आसि । i. e. त्वं किमपि मन्त्रयन्ती आसीः ।

— 16. खादितश्च abest a S. — तत्पाणिपतिता edd. — ते om. S.

— 17. अनुक्षणं om. codd. Substituit Pp. वृक्षमारुह्य. — ततो नागरजनैः edd. — स om. codd. — मनुष्यः edd. — प्रतिदिनं L.

— 18. घण्टावाद्यं L. — घण्टारवः S. utrumque male. — मनुष्यान् edd. मनुष्यं P. खादति घण्टां च वादयति इति etc. edd.

— 19. Pro नगरात् L. नगरं त्यक्त्वा; Pp. तन्नगरात्. — बहुशो विमृश्य om. edd.

— 20. स्वयं om. L. et P. — Otiosis additamentis oneratum est hoc comma in ed. Ser.: ततः करालया नाम कुट्टिन्या विमृश्य अनवसरोऽयं घण्टावादः तत् किं मर्कटा घण्टां वादयन्ति इति स्वयं विज्ञाय राज्ञा etc. — मर्कटो pro वानरो (l. 19.) etiam L. धनव्ययः L. कियद्धनोपक्षयः S.

— 21. एनं om. codd., अहं et घण्टाकर्णां inter se transpositis. — तस्यै धनं दत्तं, omisso प्रस्थापिता, S. ततस्तस्यै प्रचुरधनं दत्तं L. ubi mox pergitur: ततस्तद्वनं प्रविश्य etc. p. 60, l. 1. omissis quae intermedia sunt.

— 22. च post चक्रादिभिः reiicit Pp. मण्डन S. vitiose sicuti mox: चक्रार्यगौरवं. मण्डलपूजा est celebratio rituum magicorum, in quibus circulus primarium locum tenuisse videtur. Maxime huc facit locus ex fabulis *Sivadási* ineditis, quibus index est Vêtâlapanchavinsatî: cf. fab. 1. versus finem: भट्टारकेणोक्तं । कृष्णाचतुर्दश्यां रक्तपुष्पैर्मण्डलं पूजयित्वा योगिन्यः पुरुषमेकं विदार्य भागं कृत्वा यावद्भक्षयन्ति तावन्मया दृष्टाः ॥ — Vocabulum गणचक्र me nondum satis exploratum habere, ingenue confiteor.

Lin. 1. आदाय S. — आकीर्णानि S. praepositio आङ् huc non facit; recepimus अव ex scriptura codd. अवकीर्य दत्तानि । Aliter L.: . . . प्रविश्य तरुतले फलानि तण्डुलानि च भूमौ निक्षिप्तानि । — घण्टां om. P.

— 2. — वानरैः घण्टां परित्यज्य L. सर्वे om. P. — कुट्टिनी च codd. et S. — Pro आदाय edd. गृहीत्वा; transponit praeterea L. घंटां गृहीत्वा कुट्टिनी. Pro समागता S. नगरमागता, L. गृहं समागता. — ततः सा ex Pp. Om. ceteri.

— 3. सर्वजनपूज्या S. तद्देशपूज्या L. — Pro अभवत् L. आसीत्.

— 4. ताभ्यां om. edd. — आनीय S. — राज्ञो om. S. — कारितं et in antecc. संजीवकं P. Scriptura quamvis docta falsa tamen. Quum enim dicatur कारयामि संजीवकं राजदर्शनं, obiectum primarium est संजीवक, quod hanc ob caussam nominativo poni debet casu, verbo activo in passivum mutato. Ed. L. = ततः संजीवकमानीय दर्शनं कारितवन्तौ ।

— 5. सोऽपि om. Pp. in ceteris conspirant codd. quos secuti sumus. L. = पश्चात् तत्रैव वने चिरमतिप्रियेण वसति । S. = पश्चात् तत्रैवाश्रिततया अन्योन्यं परमप्रीत्या चिरं वसति । — Transponit P. अथ तस्य भ्राता कदाचित्. Nomini Stabdhacarni addunt codd. सिंहः otiose.

— 6. Pro तस्य codd. तद्. Compositum ferri potest. — तमुपविश्य edd. उपविश्य codd. Factitivum ex emendatione est.

— 7. आहाराय edd. — पशुं S. — चलितः codd. et S. — अत्रान्तरे edd.

— 8. कु मांसं codd. — ततः abest ab edd. — Lin. 9. देव शायतां codd. — Pro विहस्य S. विमृश्य.

— 10. व्यसितं pro व्ययितं Pp.

— 11. श्रीमत् om. codd. — अगोचर paucis erit explicandum. गोचर ab origine pastorum est vocabulum, viam qua ad pascua aguntur boves vel pascua ipsa, locos, bobus depascendis permissos, significans, posthac in scholas receptum et ad nobiliores usus reservatum. Designat provinciam, uniuscuiusque sensus perceptioni propriam eique obiectam, in qua sensus quisque quasi in dominio suo versatur et regnat, quam

quasi depascitur. Sic res visibiles provinciam constituunt visus; hoc sensu dictum est: पंच चेन्द्रियगोचराः। Bhag. Gît. XIII, 5. Tum गोचर proprietas est rerum diversarum, qua distinguuntur et percipiuntur a sensibus, veluti *color*, et *figura* rerum visibilium, *sonus* rerum auditui obiectarum. Denique res omnis sensuum perceptioni proposita. Ad primam significationem pertinet sensus, quo posita est vox Mâl. Mâdh. p. 17. मनागवतीर्णोऽसि रतिरमणबाणगोचरं, paullulum delapsus es in spatium quod percellunt sagittae Amoris, quasi in provinciam sagittis eius obnoxiam. Eodem sensu dicit Bhartrihares p. 57. लोचनगोचर, adiective, i. e. quod intra oculorum ditionem versatur, id quod cernitur. In वनगोचर Râm. II, 50, 30. aut respici potest originaria vocabuli vis: qui sylvam perambulat, aut quod magis est probabile, tralato sensu est accipiendum: anachoreta (तापस) cui sylva provincia quasi est propria, cui in sylvis degenda est vita. Nostro loco अगोचर est aut in *absentia* domini aut *sine cognitione* domini; hoc veri similius est propter casum tertium. Cf. praet. infr. p. 63, l. 20.

Pro अथ किं Pp. किं.- अथ किं particula est composita; valet *immo*, et per बाढं explicatur in scholiis ad Mâlatî - Mâdh. p. 29. Edd. pro hac particula, cuius vim haud perspexisse videntur, substituunt: मद्दीयागोचरं पौव क्रियते.

Dist. 86. d. ज्ञगतीपते edd. minus bene. — नान्यत्र L. mendose. Obiter moneo अन्यत्र male omissum esse a Boppio gram. 339. inter praepositiones, ablativum regentes, quibus optimo iure annumerari potest. Cf. Bhag. III, 9. Kath. Up. p. 5. Râm. II, 12, 23. 4, 14. 66, 5. et alibi.

— 87. c. नृपते किं जपो मूर्खो S. नृपते किंजपो मूर्खो L. किं in compositis saepissime vim habet derogandi; cf. supr. ad dist. 66. किं quum dico, intelligo omnes pronominis interrogativi formas, quae a themate क्व vel क्वि originem trahunt. क्व superstes est in adverbio interrog. क्व. Omissa semivocali ab eadem stirpe antiquitus formabatur neutrum कत् vel कद्, unde, uti recte vidit Vir. clar. Boppius, componebatur particula कच्चित्; contemtum significat eadem forma in quibusdam vocabulis compositis, observante *Schlegelio* supr. l. l. Inde est etiam कति, et कयं pro कया, quod in Vedis legitur. Vid. Pan. V, 3, 26. A क्वि, omissa itidem semivocali, neutrum किं formatum est contra analogiam, quae कित् requirebat. Formam genuinam praebet Latinum *quid*. A कि pro क्वि derivatum est कियत्, mutante similitudine antec. vocalis affixum वत् in यत्. Vid. Pân. V, 2, 40. Reiecta contra vocali et mutata semivocali in vocalem sibi affi-

nem nascuntur adverbia कुतस्, कुत्र et quae saepissime derogandi sensu praefigitur, particula कु. Pro कु veteres interdum dicebant कव et का. Pan. VI, 3, 108. कवपथः । कापथः et कुपथः । का explicandum est e कत्, compensante vocalis productione omissam consonantem त्, veluti in यावत् et तावत्. कव e कु auctum est. Sin quaeritur, quomodo factum sit, ut pronomen interrogativum contemtum indicet, facile est observatu, hoc ex ellipsi ortum esse. किंनर् valet: quid? istudne animal homo est? Eodem modo alia eiusmodi vocabula explicanda sunt. Interdum dubius haerere possis, utrum किं re vera cum seq. vocabulo compositum sit, necne. Ex gr. in exemplo, quod affert *Panines* II, 1, 40. (क्षि क्षेपे) किंराजा यो न रक्षति । Si scribis किं राजा et supples स, legitimam habes enunciationem interrogativam et किं non compositum est. Sed assentiendum est veteri grammatico propter accentum vocis किंराजा, quem ille audivit, nos ignoramus. Pervenio nunc ad verba किंक्षण et किंवराटक, quae in nostro disticho leguntur. In his किं comtemtum quidem significat, sed aliter quam in किंराजा, किंनर, कुपथ, aliis. किंक्षण enim non valere potest *momentum temporis malum*, sed est homo, qui *nihili facit momentum temporis*. Repetenda est haec vis ab ellipsi: किं मेऽस्ति क्षणेन । इति यः सदा ब्रवीति स किंक्षणः ।. —

— 88. a. Pro श्रेयो Pp. श्रेये, quod merum est vitium. Pro hoc hemistichio prorsus aliud praebent edd. qui versum priorem hunc in modum scribunt: स ह्यमात्यः सदा श्रेयान् काकिनीं यः प्रवर्धयेत् । Eandem scripturam ante oculos habuit uterque interpres; sed nemo non videt ex hemistichio b. sensum loco idoneum erui omnino non posse. — c. कोपाः S. minus bene. को ऽयं कोपो यतः प्राणाः Pp. idem voluit P. initio exhibens: कोपं, sensu cassum. Scriptura Pp. ita explicanda foret, ut कोऽयं कोपः pro quaestione accipiatur, ad quam responsum sit: यतः प्राणाः । Sed hanc oratio minus bene procedere videtur.

Dist. 89. a. Edd. et codd. किं चान्येन कुलाचारैः । Hanc scripturam Anglice reddere conati sunt interpp. in quo negotio misere se torserunt, neque enim sana esse possunt ista verba. Primo aspectu apparet ex versu seq. धनहीनः a priori versu non abesse posse vocabulum *divitem* notans; apparet etiam hoc vocabulum धन्य fuisse, quod quum propter similitudinem sequentis अन्यैः omissum fuisset, ad versum ipsum tracta sunt verba disticho praemittenda किं च. Sed emendatio nostra, nisi fallor, ultra metam

progressa est; retinendum esse arbitror न कुलाचारैः; homo dives venerationem nanciscitur non moribus honestis, sed aliis remediis.

Lin. 22. एतच्च राज्ये प्रधानं भूषणं Pp.

Dist. 90. a. अनवेक्षा च S. — c. pro कोषाणां edd. मोक्षणं; Pp. घोषणं.

— 91. a. Pro क्षुद्रं edd. क्षिप्रं, quod ferri potest, si adverbii loco accipiatur et ad verbum श्रमणायते referatur. — c. pro श्रमणायते S. परिक्षीयते; L. परिक्षीयत् contra metrum et grammaticam.

Lin. 6. *init.* तदाकर्ण्य L.; verba ततः — श्लाघयित्वा om. S. — चिराश्रिताभावेतौ Pp.

— 7. कार्य om. Pp. — कारिणौ च edd. et codd. Abundat copula. — कार्याधिकारी omisso, pergunt edd. कदाचिदर्थाधिकारे न नियोक्तव्यौ ।

— 8. नियोगि Pp. — यन्मया श्रुतं तन्मया कथ्यते edd.

Dist. 93. c. *init.* सर्वस्वं S.

— 95. a. अधिकारस्य L. pessime. — d. आविलुम्पति edd. Praepositioni आङ् verbo praefixae et ipsi verbo nulla alia unquam interponitur praepositio.

— 96. a. सपाठक्रीडितो Pp. आपांशुक्रीडितो P.

— 97. a. Pro सदा edd. क्षमा. — Fabula, ad quam alluditur in versu posteriori, ignota mihi est. शकटारः est avis rapax. Cf. Haught. Gloss. Bengal. s. v. Desideratur vocabulum ap. Wils. Repetunt hoc distichon codd. interpp. et S. post dist. 140. Ibi codd. praebent समायुक्तः ।

Dist. 98. a. सदामात्यो न साध्यः स्यात् edd. — Codd. uti nos, modo vitiose exhibent सदायात्यं, quod vocabulum ab hoc loco prorsus est alienum. — c. Pro घादेशः P. उद्देशः. — Repetunt edd. codd. et interpr. hoc distichon infra post dist. 123., eadem lectionis varietate.

— 99. a. प्राप्तार्थग्रहणं edd. quod vix sensum loco accomodatum praebet. — b. परिवर्तो Pp. — परिवर्तावरोधनं L. sensu cassum. — d. भूषणं Pp. mendose.

— 100. a. नियोग्यनुग्रहोपायो Pp. नियोग्यर्थग्रहोपायो edd. — b. परिक्षणं edd. quae vox ab hoc loco abhorret. — d. धर्मविपर्ययः P.

— 101. a. निपीडिताः edd. quae scriptura sensum prorsus contrarium praebet. — .c. महीपते S. — c. दुष्टव्रणा Pp.

— 102. a. Pro बोधो L. बाध्या, quod sensum praebet quidem, sed a contextu alienum; melius S. बोध्या; sed apparet ex seq. hemistichio neutrum editorem sensum huius loci assecutum esse; editum enim est a S. वसुधाया महीपते, a L. वसुधाया महीपतेः — c. सकृत् किं पीडितं edd. असकृत् *haud semel*, postulatur ab antec. मुहुः । — असकृन्निपीडितं codd. sensus idem, sed syllaba longius fit hemistichium. — d. pro अहृदकं S. हृतं पयः

Lin. 9. Transponit S. यथावसरं ज्ञात्वा male. — एवं et किंतु om. Pp.

— 10. Pro किंतु P. यद् haud male, si यद् pro coniunctione accipitur. — वचनकारिणौ S.

— 10. एतच्च सर्वथानुचितं codd. — एतत् सर्वमनुचितं सर्वथा S. सर्वथा male additum ex praecedd.

Distt. 103 et 104. transponit Pp.

Dist. 103. a. क्षमेत Pp. vitiose. न क्षमेत् स्वसुतान् अपि edd. Haud scio an activum nunquam usurpetur. — c. et d. Secuti sumus P., emendato tantum in fine versus वा pro हि; confirmat scripturam nostram Pp. ubi tamen peccatur in hem. d. चित्रगतस्य हि ॥ चित्रगत est pictus; cf. infr. p. 64, l. 1. चित्रगत nulla alia ratione defendi posset, quam si quis comprobaret चित्रगत idem esse atque संकल्पित; de qua re tamen vehementer dubito. Ed. S. विशेषः कोऽनुरागस्य राजचित्रगतस्य च । L. विशेषः कोपदोषेण राजचित्रगतस्य वा ॥ quarum lectionum neutra ad hunc locum quadrat; L. sane sensu est destituta.

Dist. 104. Om. P. alio substituto, quod apud nos legitur supr. II, 52.; similitudo initio utriusque distichi (dico II, 52 et II, 103.) in caussa fuit, cur etiam in Pp. exaratum fuerit dist. II, 52. post 103. नष्टक्रियस्य ex Pp. — नष्टेन्द्रियस्य edd. minus bene. — d. प्रमत्तनिकरस्य prim. man. Pp. sed emendavit iam secunda manus.

Lin. 19. तद् abest ab edd. — सर्वदा P. — मद् pro अस्मद् L. Pro अथ S. अपि; L. अप्यथ.

— 20. अतः et paullo post च om. edd. — भोजनाधिकारे L. — एतद्वचनात् तथा etc. edd.

— 21. भृत्य addidimus ex codd. — परित्यागेन edd. Offendunt gemini casus tertii in eadem sententia a diverso regimine pendentes.

— 22. वर्तते, omisso अति, P. — अतो pro ततो P. दाने edd. —

Lin. 1. तदाह S. दमनक आह, omisso तत्र, L. — Pro कर्तव्यं L. विधेयं; — मित्र किं कर्तव्यं S.

— 2. कृतेऽपि edd. च om. Pp. — परिदेवनविनोदोऽप्यसुलभः codd. quae verba bene se habent, sed huc non convenire videntur.

Dist. 106. b. आत्मानश्च S. male. — c. स्वमर्षिं pro च मर्षिं S. Notum est, vel esse sane debet, adiectiva a verbis desiderativis derivata et in उ desinentia casum accusativum interdum regere more atque vi participiorum. Exempla in legibb. Manûs passim inveniuntur. Cf. I, v. 8. etc. De साधु cf. ad pag. 55, l. 22.

Lin. 6. वीरविक्रमो नाम राजा L.; नाम om. S.

— 7. साधुद्वितीयकेन S. Inusitatius sane est affixum क numeralibus addere; de ipso hoc more loquendi cf. nott. ad Bhag. Gît. XV, 7. Bopp. ad Ep. Bhar. p. 101. Pentap. p. 80. Pro बध्यः S. हन्तव्यः.

— 8: ततो राजपुरुषाः Pp. — Pro किमिति ed. L. किं.

— 9. ते ग्राहुः Pp. et L. perperam. Sed in pedestri oratione interdum negliguntur euphoniae regulae tales.

— 10. द्वीपे S. minus bene. — सिंहलनामो द्वीपस्य Pp. — नाम in fin. om. edd.

— 11. *init.* अथ om. edd. — समुद्रस्य मध्ये Pp.

— 12. तले रत्नावलीकिरणकर्बुरपर्यङ्के edd.

— 13. कन्या काचित् edd. — Pro अतो edd. ततो.

— 14. तत्रागतः edd. male. — Post virgulam तत्र गत्वा Pp. et edd. - गत्वा, omisso तत्र P. — पर्यंकेऽङ्कमग्ना edd. — Mox iidem तथैव सा, omisso मया. Post अवलोकिता deinde pergunt: ततः सा सखीसमेता समुद्रमध्ये मग्नादृश्याभवत्। ततस्तल्लावण्य etc. — मयापि S. — मया प्राप्तबुद्ध्या L. — तत्पश्चात् om. L. तत्पश्चात् तदुपरि Pp. Alterutrum glossema est. — प्रदत्तः S. male. — तदनन्तरं कल्पतरोः शाखामाकृष्य तस्याः कनकपत्त्रं L. Ceteri additamentum haud agnoscunt; तदनन्तरं praebet etiam S.

— 16. कनकपत्त्रं गतोऽहं। तत् पत्त्रं प्राप्य etc. Pp. - सा om. S. - ad मया (l. 17) trahit Pp. — पर्यङ्के स्थिता S. पर्यङ्कस्था L. — विद्याधरिभिः L. mendose. — आलोकिता edd. haud male.

— 17. तया चाहं L. — *Lin.* 18. ततस्तात्काव्या च मया पृष्टया edd.

— 19. प्रतिज्ञाविवाहिता ex coniectura est prorsus necessaria; libri enim omnes contra tenorem narrationis peccant; S. tamen ad scripturam nostram proxime accedit: प्रतिज्ञाविवाहिता सा स्त्रियते; sed विवाहिता h. l. falsum est, quia nondum nupta est; स्त्रियते melius abest — L. नाम। अनया प्रतिज्ञा विवाहितः यः कनकपत्त्रं etc. ex quibus verbis qui constructionem probabilem extorquere poterit, is magnus mihi erit Apollo. P. iusto brevius rem expedit: ...नाम स्वयमनुभूयतां। इति तयोक्तं। अथ वृत्ते etc. (l. 21.). Vel maiorem lacunam praebet Pp. नाम। अथ वृत्ते etc. J. cum codd. facere videtur, W. cum edd. In tali librorum dissensu iudicio nostro uti non haesitabamus.

Lin. 20. गोचरेण L. cf. supr. ad p. 60, l. 11. मनसः संकल्पः om. L. et pergit: तदिमां गन्धर्वविवाहेन परिणीतवान्। sed praestat omnino scriptura ed. Ser.

— 21. अथ तत्र वृत्ते S. — विवाहे वृत्ते L. — गान्धर्वे P.

— 22. एव om. edd. — सलाहं, omisso in seqq. तत्राहं eiusque loco posito चिरं, L. — रममाणोऽवतिष्ठते (sic) Pp. — तत्रैकदा codd.

Lin. 1. सर्वदा स्वेच्छया सर्वमिदमुपभोक्तव्यं L. — S. ut codd. et nos, in उपभोक्तव्यं tantum cum L. congruens. — किंतु **abest** a codd. et S. male.

— 2. न कदाचित् S. न कदाचिदपि L. — स्प्रष्टव्या libri omnes una voce defendunt, quanquam propter infinitivum स्प्रष्टुं dicendum foret स्प्रष्टव्य. Silent grammatici. — Pro पश्चात् L. ततः. — तद्वचनात् om. codd. et S. Transtulimus ex sola ed. L. verba narrationem egregie illustrantia.

— 3. स्वर्णरेखा स्तनमण्डले स्पृष्ट्वा L. स्वर्णरेखा स्वहस्तेन स्पृष्ट्वा S. स्वर्णरेखायाः स्तने स्पृष्टा P. स्वर्णरेखास्तस्पृष्ट (sic) Pp. Confiteor me nondum animo concipere potuisse quid tandem in caussa fuerit, cur locum tam planum et intellectu facillimum talem in modum corruperint editores aeque atque codicum opifices. — च abest a codd. Pp. praeterea pro तया mendose तथा. — तया कृत्वा om. S. et P. — चरणापंकजाहतः L. — Pro आहतः S. ताडितः, Pp. हतः.

Lin. 4. *init.* यथागत्य स्वराष्ट्रे पतितः L. et P. आगत्य स्वराष्ट्रे पतितः S. यथाहं गत्यात्मराष्ट्रे निपतितः Pp. Sed formula haec यथागत्य, pro qua saepissime dicitur यथागतं adverbialiter, interdum etiam यथागत adiective, huc omnino non facit, quia modo prorsus diverso ab illo quo advenerat rediit Candarpacetus. — Pro तदारभ्य Pp. तद्यारभ्य; अथ inepte insertum est. Edd. अथ, nil amplius. — अहं om. P. — परिव्रजितः et परिभ्राम्यन् S.

Lin. 5. Incisum, quod ab adverbio अत्र incipit, sine ulla varietate in codd. legitur, ed. Ser. in अथ pro अत्र tantum dissentit. Ed. L. contra in prorsus alia verba discedit: अत्र चास्तं गते रवौ प्रविशन्नेवासन्नगोपगृहे आवासं प्रार्थितवान् तेन च नितागेहस्यैकदेशोऽनुज्ञातः । अनुज्ञाय च कथिता गृहिनी (i. e. गृहिणी) यावदहमागच्छामि तावदयं यथा भद्रेण तिष्ठति तथा करिष्यसि । इत्युक्त्वा गतः । अथ तस्या भार्या पुंश्चली दूत्या सह मन्त्रयन्ती यावदवतिष्ठति तावत् तस्याः पतिर्गोष्ठादागत्य स गोपः स्ववधूं मंत्रयंतीं दूत्या सहापश्यत् । (l. 6.) In seqq. etiam haud parum dissentit, sicut mox videbimus, nunc ad alios libros revertar. — ततः in fin. l. 5. om. S. et P.; inseruimus haud scio an recte ex Pp. qui huic commati praemittit dist. a nobis supra exhibitum I, 17.

Lin. 6. प्रदोषसमये सुहृदां पालनं कृत्वा स्वगोष्ठमागतो गोपः स्ववधुं दूत्या सह किमपि मंत्रयन्तीमपश्यत् । S. Summopere laudo amicitiae studium in pastore conspicuum; at probabilius mihi est, cordi magis fuisse pastori boves quam amicos. प्रदोषसमये गोपालः कश्चिद् (sec. m. कदाचिद्) आगतः । स गोप स्ववधूं Pp. in ceteris cum P. et nobis faciens.

— 7. Post verba mox exscripta pergit L. अपश्यत् । सा गोपी पतिमालोक्य प्रत्युत्पन्नमतिर्निवृत्ता मन्दिराभ्यन्तरे शयनायकल्पयत् । ततस्तां गोपः (sic) ताडयित्वा etc. l. 7. —

ि· रात्रे, एतस्य नापितस्य बधूर्दूती पुनस्तां गोपीमुपेतावदत् । तव etc. S. — असौ ex P., असावेव Pp. — एतस्य नापितस्य बधूर्दूती P. sic etiam Pp. modo तस्य loco एतस्य; videmus nunc retinendam fuisse hanc scripturam, quam tuetur etiam S. एतस्य δεικτικῶς dictum est de tonsore in praesentia agente. Cf. p. 63, l. 6. quanquam defendi possit scriptura L. a nobis recepta, एतस्याः referendo ad गोपी. — आगता om codd.

Lin. 8. Pro वियोग S. विरह; dissolvit compositum L. वियोगादनलदग्धो etc. minus bene. Usitatissima est haec metaphora apud poetas eroticos; unum exemplum sufficiat. Châur. Panchâs. v. 19.: अद्यापि तां विरहवह्निविपीडिताङ्गीं । — स्मरामि. Sed constanter वियोग, विरह, cetera eiusdem significatus vocabula aut cum ignis quodam nomine componuntur aut genitivo casu efferuntur; alio casu posito, prorsus fatuus evadit ignis. मुमूर्षुरिव om. P. इव om. Pp. et S. in qua editione vocabulo मुमूर्षुः praemissum est: स्मरशरजर्जरितो; epitheton huic simile supra iam legitur p. 39, l. 22.

Lin. 10. वर्तते महानुभावः L. et P.

Dist. 107. abest a P. et W. — a. रजनीकरनाथेन P. — d. दृष्ट्वा मनोभवः खलु ॥ Pp.

Lin. 12. Inserit post dist. 107. S. hoc comma: तस्य तादृशीमवस्थामवलोक्य परिक्लिष्टमनास्त्वामनुवर्तितुमागता । तदहमत्रात्मानं etc. — संतोष्य et mox: आगमिष्यसि S.

Lin. 13. स गोपः edd. — न यासि कथं, male collocata particula interrogativa, L. — Prorsus aliter S. इदानीं त्वां पापिष्ठां ग्रारान्तिकं नयामि ।

Linn. 14. 15. ततो . . . . छिन्ना ex codd. Dissentiunt edd. — S. pro न किंचिद्वदति praebet न किंचिदपि ब्रूते; tum: तदा क्रुद्धो गोपः दर्पान्मम etc., denique इत्युक्त्वा कोपेन तेन (ed. S. तेना) कर्तिकामादायास्या नासिका छिन्ना । — L. = ततश्चेयं दूती न किंचिद् ब्रवीति तदा दर्पादुत्तरमात्रं न ददासीत्युक्त्वा प्रकुपितेन गोपेन तस्या नासिका छिन्ना । Pro seq. inciso substituit L. पुनः पुनः nimis abrupte, praesertim quum mutata sit constructio; om. omnino codd.

Lin. 16. Pro अथ L. अनन्तरं, अथ तया Pp. — Pro आगता सा S. आगत्य. — दूति om. edd. — पश्य om. codd.

— 17. पश्य मां S. पश्य मे मुखं नासिकैव वार्तां कथयति L. कथयति S. quoque et Pp. — तया कृत्वा आत्मानं बद्ध्वा S. nimis prolixe. — अवस्थिता pro स्थिता L.

— 18. तां om. P. et L., in qua ed. deest etiam इयं च. Pro गृहीत्वा codd. आदाय. — निजगृहमुपगतवती विषादं भावयन्ती स्थिता L. — प्रातरेव Pp. et S.

— 19. क्षुरभाण्डे याचिते सति सा क्षुरभाण्डमदत्त्वा क्षुरमेकं प्रादात् । L. nimis diffuse praeter morem huius libri. — स्वबधूं क्षुरभाण्डं याचिता सती क्षुरमेकं प्रादात् S. quae verba ipsi construant boni viri. — सा अस्मै क्षुरं etc. Pp. सा तीक्ष्णं क्षुरं P. — Pro

रुषा L. प्रकुपितः. Verba prorsus diversa exhibet S.: ततोऽसमग्रभाण्डे प्राप्ते समुपजातकोपोऽयं नापितः तत्क्षुरं दूरादेव गृहे क्षिप्तवान्।

— 20. *init.* क्षुरं दूरादेव गृहे प्रक्षिप्तवान् L. — क्षुरं om. Pp. — अथ कर्तितनासिकेयं L. अथ कृतान्तरावेयं S. राव nunquam quod sciam, de hominibus dicitur. Pro स्वामिना L. अनेन. Sic etiam S. sed transposito: मे नासिका अनेन.

— 21. इत्युक्त्वा धर्माधिकारिसमीपमेनमानीतवती। edd.

— 22. Verba pastoris छिन्ना नासिका ते et mox seqq. इति निर्भर्त्स्य om. edd. पुनः praeterea abest a L. — Pro पामर S. गोप, L. et Pp. पाप. — को मां, in seqq. omisso कः, edd.

Lin. 1. किमन्यत् om. edd. — व्यवहारमकल्मषं edd.

Dist. 108. c. Hiatus in च उभे ab omnibus libris defenditur; itaque nil mutavimus. — d. धर्मश्च edd. Legitur dist. in episod. de Sacuntal. ed. Chèzy VII, 27. levissima scripturae varietate.

Linn. 5. et 6. usque ad किं बहुना desiderantur in codd. Pro यद्यहं L. ततोऽहं यदि. — परमसती S. Post hoc vocabulum in omnia diversa abit S. nil omnino tamen bonae frugis suppeditans: परमसती यां त्वां विहायान्यं न जाने पुरुषान्तरं स्वप्नेऽपि न हि भर्त्ते तेन धर्मेण छिन्नापि मम नासिका अछिन्नास्तु मया त्वं भस्म (sic) कर्तुं शक्यते (sic)। किंतु स्वामी त्वं लोकभयादुपेक्षते पश्य मन्मुखं etc. l. 6. — किं बहुना। मम मुखं पश्य ex codd. est additum. — गोपः om. P.

Lin. 7. दीपं प्रज्वाल्य S. प्रदीपमादाय L. — तन्मुखमक्षतमपश्यत् L. तन्मुखमवलोकते S. — तावदुन्नासं मुखं S. Adiectivum उन्नस minus apte nisi fallor h. l. positum, quamvis tale adiectivum formari posse (melius tamen me iudice diceretur उन्नास a नासा) haud dubium mihi est. Cf. quae de praepos. उत् in eiusmodi compositis annotavi ad dist. II, 28. — Discrepat et peccat L.: तावदेव क्षम्यतां ममापराधं इत्युक्त्वा परिभ्रम्य हृष्टहृदयो बन्धनाद्विमुच्य तच्चरणयोः पतित्वोवाच। धन्योऽहं etc.

Lin. 8. तां बन्धनाच्च मुमोच। sermone pastoris omnino omisso, codd. — S. contra verba mox laudata omittit et participio पतितः statim subiungit: धन्योऽहं यस्येदृशी भार्या परमसाध्वीति एतद्वृत्तान्तं श्रुत्वा etc. inseruntur scilicet satis inopportune h. l. verba, quae cum codd. infra l. 17. in fine totius fabulae exhibuimus q. l. cf. — Sermoni pastoris additur in ed. L. hoc distichon a ceteris omnibus praeter W. omissum; W. praeterea exhibet h. l. etiam alios versus, a nobis supra I, 114. editos:

मधुरस्य वाचि योषितां हृदि हालाहलमेव केवलं।
अत एव निपीयतेऽधरो हृदयं मुष्टिभिरेव ताड्यते॥

6. Peccavit ed. Lond. secundum morem suum contra metrum in hem. a. Corrigat vitium ab isto commissum ipse distichi auctor, Bhartrihares, qui scripsit: मधु तिष्ठति वाचि etc. vid. ed. Seram. p. 39. निपीयतेऽधरः audacius est dictum, sed eleganter neque aliis poetis eroticis inaudita est talis loquela: Chauras sl. 3: अद्यापि तां यदि पुनः कमलायताक्षीं । पश्यामि पीवरपयोधरभारखिन्नां । संपीड्य बाहुयुगलेन पिबामि वक्त्रं । उन्मत्तवन्मधुकरः कमलं यथेष्टं ॥

Lin. 9. Pro यश्च S. यदि, stolide; tum कथयामि pro शृणुत. — L. = ततश्च साधोर्वार्तां शृणुत यूयं राजपुरुषाः । — निःसृत्य L. निर्गतो S. — द्वादशभिः L. et Pp.

— 10. वाणिज्यं कृत्वा om. codd. et S. — नाना दुर्लभानि रत्नानि L. नाना indeclinabile est adiectivum, quod, si bene memini, a nomine, quocum coniunctum sit, nunquam seiungitur alio vocabulo interposito. Neque huic sententiae obstat locus Kath. Up. p. 9. नानेव पश्यति, ubi adverbialiter positum esse videtur नाना, sicuti paullo ante नेह नानास्ति किंचन, ubi patet नाना idem esse atque पृथक्; in priori loco explicat scholiastes per भिन्नं. — Pro अनुप्राप्तः L. आगतः ।

Lin. 11. च om. edd. — Pro तस्या L. ततः male; तत्र codd. quod ferri potest. — घतित L. vitiose.

— 12. मूर्धनि S. — अत्युत्कृष्टं L. — तद्रत्नलुब्धेन codd. अनेनैव P. idem voluit Pp. ubi mendose exaratum est अनेनै. — L. = तद् दृष्ट्वाऽर्थलुब्देन (sic) साधुना, omisso अनेन.

— 13. हस्तौ प्रसार्य यदा रत्ने हस्तौ दत्तौ Pp. — P. mutat ordinem: रत्ने हस्तो यदा. S. = रत्नं गृहीतुं यत्नः कृतः, perperam omisso: यदा. - तदा, omisso एव, S. - तेन om. P. — सूत्रसंचारितेन बाहुभ्यां, codd. संचारितः L. — परि abest ab cdd. et P.

— 14. अयं चकार S. — साधुपुत्र L. अरे पुरुष codd.

— 15. सर्वथा सर्वरत्नानि Pp. — प्रयच्छास्मै S. अस्मै nulla alia ratione defendi potest, quam si ad वेताल referatur; melius tamen abest. न चेद् L. male.

— 16. चेटकगात्रात्त्वा etc. (vid. lin. 18.) P. perperam omissis quae interiecta et sunt et esse debent. Inseruntur tamen eadem prorsus verba infra post fabulam absolutam; scilicet adscripserat in margine librarius verba a se omissa, et posthac inopportuno loco ab alio quodam sunt inserta. कृतः om. edd. quo facto locus magnopere depravatur. - Pro ततो Pp. अतो. - Pro अधुना च S. यथा, quod sensum praebet haud malum, si explices यथा per *ita ut*. — अपहृत S.

Lin. 17. अस्माभिः L. अस्मासु समागत्य मिलितः S. inepte repetitis verbis idem

fere significantibus. — न्याये धर्माधिकारी प्रवर्त्तितः S. न्यायः प्रवर्त्तितः L. — Seqq. usque ad अतोऽहं om. edd., nos codicibus debemus.

— 20. Pro तत् S. अत्, L. ततः, prius inepte, posterius ad idem redit atque तत्. — अपि नोचितं codd. नोचितं S.

— 21. सहस्व abest ab edd., corrumpit P. in सहः स. Pro एव तयोः P. एतयोः. Edd. यथानयोः सौहार्दं मया कारितं.

— 22. मया कार्यः edd. minus eleganter repetito vocabulo मया.

Dist. 109. c. सम pro समे Pp. Ceterum vix opus erit annotare निम्नोन्नतानि compositum esse copulativum (dvandva) pro निम्नानि उन्नतानि च ।

Dist. 110. a. Pro अपि codd. च. — d. दारुद्वयं तथा Pp. vitiose.

Lin. 5. *fin.* पूर्णां edd. mendose; nam thema est पुरी, cuius vocis prima syllaba nunquam omnino produci potest; पुर्, vocabulum a Wilsone non enotatum, nominativum solum producit: पूः ।

— 6. च post सा om. edd. — Pro ग्राममौख्येन edd. ग्रामस्य; P. ग्राममोक्षेण; Pp. prima manu ग्राममौक्षेण; sed emendavit secunda. ग्राममौख्य est quod ad ग्राममुख, vicum urbanum, oppidulum, pertinet, veluti h. l. eiusmodi loci magistratus.

Dist. 111. a. . . तप्यति . . . Pp. inepte.

— 112. Inest huic disticho ellipsis hunc fere in modum explenda: . . . . न शास्त्रेण नियम्यन्ते स्त्रियः । किंतु सर्वथा विषमाः सन्ति । — Omisit hunc slocum J. Subiungit L. duo disticha, ceteris ignota praeter W. qui tertium, in ed. L. omissum, hisce duobus interpositum, addit, initium tantum interpretatus, ne, ut in notis confitetur, castas mulierum Britannicarum aures offenderet:

यतः । गुणाश्रयं कीर्तिमन्तं कान्तं रतं विधेयं सधनं रतिज्ञं ।
विहाय शीघ्रं वनिता व्रजन्ति नरान्तिकं शीलगुणादिहीनं ॥

In hem. d. legendum est नरान्तरं; gravioribus vitiis laborat versus prior, quem si hunc in modum reficis, metrum certe restituitur: गुणाश्रयं कीर्तितकान्तरत्नं पतिं विधेयं सधनं रतिज्ञं । Alterum distichon sic se habet:

अपरं च । न तादृशीं प्रीतिमुपैति नारी विचित्रशय्यां शयितापि कामं ।
यथा हि दूर्वादिविकीर्णभूमौ प्रयाति सौख्यं परकान्तसंगात् ॥

Suspicor mendum in hem. b.; शी cum accusativo haud facile construitur. *Lass.* — Expungenda videtur littera nasalis, ut sit compositum. *Schl.*

Lin. 12. अथ कदाचित् सा S. अथ सा कदाचित् L. — Pro पुत्रेण L. सुतेन.

— 13. एनं तु तत्रागतः S. — . . . नायकमायान्तं दृष्ट्वा तत्पुत्रं etc. intermediis omissis, L. — तमायान्तं दृष्ट्वा S. — कुशुले hic et infr. l. 18. mendose S. — Pro धृत्वा edd. निःक्षिप्य; oportebat saltem scribere निक्षिप्य. - Pro समं S. et Pp. सह. - क्रीडति S.

— 14. भर्ता गोपो edd. गोपः exhibent etiam codd. sed om. गोष्ठात्. — गोप्योक्तं । किमधुना विधेयं । दण्डनायक त्वं etc. codd.

— 15. Pro याहि S. गच्छ. — तथा तेनानुष्ठिते, reiecto सति, S. तथा कृते L. ubi statim pergitur: गोपेनागत्य पत्नी पृष्टा (sic).

— 16. गोपेन S. ubi mox स्व desideratur. — Deest अत्र in Pp. et S. — सकोपः समागतः L. समागतयात्र स्थितः S.

— 17. कार्येण pro कारणेन S. minus apte. — Pro मार्ग्यमाणः L. पलायमानः.

— 18. *init.* अप्यत्र S. Particulae अपि hic nil est negotii. — ततो om. edd. — तत्पित्रा S. — अन्विष्यात्र L. et P. अन्निष्यात्र S. vitiose. — गृहे desideratur in S.

— 19. अत एवायं S. एव per se optime huc facit, sed displicet repetitio eiusdem particulae. अयं दण्डनायकः Pp. nomen retinet P. pronomine reiecto. — क्रुद्धः edd. et P. Retinuimus कुपितः quia क्रुद्धः mox antecesserat. — Pro अवतार्य S. बहिष्कृत्य; sed minime h. l. convenit verbum बहिष्कृ; cf. quae dixi ad Pentap. Ind. p. 80.

— 20. स्वामिनं ex codd.

Lin. 1. Pro अस्त्येवं edd. अस्त्वेवं; quanquam haud magnum est inter utramque formulam discrimen, est tamen et, nisi fallor, hoc quidem; अस्त्येवं est affirmantis, अस्त्वेवं est concedentis, sed ita ut ad aliud argumentum pergatur, priori dimisso.

— 2. महान् निसर्गः स्नेहं Pp. absurde. महास्नेहः P. महानिसर्गस्नेहः L. nostra scriptura concinnata est ex ed. S. महानन्योन्यनिसर्गोपजातस्नेहः ।

— 3. Pro चिन्तनीयः S. क्रियतां.

Dist. 114. c. et d. काक्या . . . सर्पो निपातितः S. — d. . . . अताडयत् codd.

Lin. 7. च abest a L. — तत्रह etc. L. — तत्कोटरावस्थितानि S. तत्कोटरावस्थित etc. codd.

— 8. वायसी वायसमाह S. — Pro स्वामिन् S. नाथ. — अत्रैव तस्मात् L. अत्रावस्थितकृष्णासर्पेणावयोः etc. S.

— 9. आवयोः कदाचिदपि प्रजावृद्धिर्न भविष्यति L. आवयोः संततिः सततं भक्ष्यते । S.

— 12. एतस्य मया P. — महापराधः edd. et Pp.

— 13. Pro निग्रहीतव्यः edd. पुनर्न जन्तव्यः । — Pro अनेन S. et P. एतेन. — विग्रहितुं S. विगृहीतुं P.

— 14. Pro समर्थः Pp. शक्तः

Dist. 116. b. अबोधस्य S. निर्बोधस्य L. — Pp. prima manu ut S., secunda uti P. atque nos. Hiatum hunc tolerari posse supra iam monitum est. — d. fin. निवासितः P.; voluit haud dubie विनाशितः ।

— 17. Pro अभिधाने edd. नाम्नि; iidem aliud leonis nomen exhibent दुर्दान्त. W. nobis suffragatur; in ed. opp. Jonesii mendose exaratum est दर्गान्त; legit Vir clariss. in exemplari suo sine dubio दुर्गान्त.

— 18. च abest a P. — सर्वदा पशूनां बधं कुर्वन्नास्ते edd. — Nos secuti sumus codd. तत्र receptum est ex Pp.

— 19. स सिंहो edd. — Pro उच्छेद Pp. छेद. In diversa abeunt edd. L. = किमर्थं सर्वपशुच्छेदः (sic), omisso स्वामिन्. S. = हे मृगेन्द्र (sic) किमयमेकदा पशुघातः ।

— 20. यदि प्रसादो भवति तदा वयमेव etc. S. nimis prolixe. — आहाराय pro आहारार्थं S. — Pro उपढौकयामः L. दास्यामः; P. उपटौकयामः; quaenam littera praeferenda sit, ignoro; cf. Rosen. s. v. टौक. Per उपटौकन explicatur उपहरण Amarû Sat. dist. 13. Cf. scholl. p. 19. — ततः सिंहेन S. — एवमस्तु L. pro भवत्वेवं. Aliter S.: यद्येतदभिमतं भवतां तर्हि भवतु नाम ।

— 21. पशुं भक्षयन्नास्ते L. पशुमुपकल्पितं भक्षयन्नास्ते । S. — कदाचित् कस्यचित् P.

Dist. 117. a. त्रासहेतोर्विनीतिस्तु edd. — d. Pro मे L. वा.

Lin. 3. तन्मन्दमन्दं codd. उपगच्छामि L. गच्छामि S. Sequens incisum desideratur in codd. — Pro उपगच्छति Pp. उद्गच्छति. — Pro अथ edd. ततः — तमालोक्य om. edd.

— 4. तमुवाच edd. — विलम्बागतोऽसि Pp. विलम्बादागतोऽसि P. Secuti sumus ed. Ser. nisi quod pro समागतोऽसि cum codd. scripsimus आगतोऽसि । Verba prorsus diversa substituit L. किमागमने विलम्बकारणं । — नाहमपराद्धः L. देव नाहमपराध्यः S. utrumque contra usum loquendi.

